



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. III. Habuisse Eliam discipulos, siue congregationem Monachorum sibi
subditorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

zali, ait *Author itinerarij Ghistela*, spelunca est, & fons, ubi habitauit Elias, & Elisæus, & filij Prophetarum: postea habitauerunt ibi Fratres Carmelitæ, unde & originem, & nomen habent. Et infra paucis interiectis, subdit: Ex Caipha ad leucam unam, via, qua ducit ad Castrum peregrinorum, per ascensum montis Carmeli, ferè dimidia leuca, est spelunca Elia, in qua &c. Illic etiam est fons, ubi Prophetarum filij habitabant, nunc autem inhabitant Fratres Ordinis Carmelitarum, fuitq; cum eis ibidem.

CAPVT III.

Habuisse ELIAM discipulos siue Congregationem monachorum sibi subditorum.

Tertio, obijcit Hieronymus Roman. *libr. 2. cap. 9.* manifestum esse, Eliam non habuisse Congregationem aliquorum discipulorum, cum nunquam habuerit, nisi solum duos, nimirum Elisæum, & Ionam Prophetam, filium viduæ Sareptanæ, imò inferius factum affirmat, hunc Ionam discipulum eius fuisse: sed pugnat cum S. Epiphano, qui loquens de Abdia in vita eius, affirmat discipulum Elia fuisse dicens: *Hic est Vates, qui ter semicenturionem egit, cuique paruit Elias Thesbytes: post hæc Regia ordinationis desertor adhaesit diuinatori Elia, & factus est discipulus eius.* Pugnat etiam cum S. Dorotheo in Synopsi Prophet. ubi de Abdia sermonem instituens, ait: *Iste Abdias erat de terra Sichem: fuit discipulus Elia.* Pugnat cum Ioanne XLIV. Patriarcha Ierosolymitano de institutione Monachorum *cap. 23.* hæc scribente: *Priusquam Elias ab hoc mundo transferretur, fuit ei cura, Monachos discipulos suos filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis prouidere, propter quod descendentes ipse, & Elisæus de monte Carmelo, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & inde in Iericho, Nam sicut prædiximus,*

Hier. Rō.

S. Epiph.

S. Dorothe.

Ioan. 44.

Patri. Hier.

in his locis habitabant viri Religiosi, Filij Prophetarum, ELIÆ discipuli, quos ipse visitans &c.

CAPVT IV.

Monachalis vita Institutum olim non indignisse speciali approbatione summi Pontificis.

Hier. Rō.

Quartò, obijcit *cap. 8.* Hieronymus Romanus in monte Carmelo non fuisse Religiosos aliquos Ordinis Carmelitarum, sed solitarios quosdam, qui nulla ratione Monachi erant, cum non viuerent sub disciplina alicuius Religionis approbatæ: hoc sanè puerile cauillum est, cum constet, institutum Monasticum ante Concilium Lateranense non indignisse speciali summi Pontificis approbatione, sed suffecisse illam, qua ipsi Pontifices, atque Sacra Concilia monachismum approbant. Hinc nemo facile ostenderit, ante *Innocentium III.* institutum sancti *Antonij, Basilij, Hieronymi, Benedicti*, atque aliorum antiquorum ab vilo Pontifice specialem obtinuisse approbationem; At verò cum quidam, amantes quæ sua sunt, & non quæ IESV Christi, hac indulgentia abutereantur, prouidentibus dicto *Innocentio cap. finali de religiosis domibus*, & *Gregorio X. cap. vnico de religiosis domibus*, in 6. cœpit esse necessarium, quod antea erit liberum,

Innocent.
cap. fin.Gregor. X.
c. vnico.
de relig.
domibus.

CAPVT V.

Religionem Carmeliticam non traxisse originem ex Regulis longe posterioribus, Basilij, Augustini, aut Benedicti, sed ab ipso ELIA ac perseverare in hodiernum diem, luculentis auctoritatis probatur.

Hier. Rō.

Quintò, deinde idem Hieronymus Romanus *libr. 6.* quem vocat de *Republ. cap. 10.* ait Religionem Carmelitarum non habuisse pri-